

12

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA,
EXHIBENS
SUCCINCTAM & VARIAM
DOLORIS
RATIONEM, VARIAMQUE
CURANDI METHODUM,

QUAM
EX INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO

In
ALMA ET ANTIQUISSIMA ELECTORALI HEIDELBER-
GENSIUM UNIVERSITATE,
PRÆSIDE

Prænobili, Clarissimo & Expertissimo Viro ac Domino

D. FRANCISCO JOSEPHO
de OBERKAMP

Philosophiæ & Medicinæ Doctore, Ejusdemque
Professore publico & ordinario, Serenissimi & Potentissimi
Electoris Palatini Archiatro &c. &c.

PRO SUPREMA DOCTORATUS LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ac PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

EX ANTLATIS DE MORE RIGOROSIS EXAMINIBUS

Publico ac solenni Eruditorum examini submittit

PHILIPPUS LUDOVICUS EBERHARD.
de OBERKAMP Obernburgensis,
Medicinæ Candidatus emeritus.

Die Septembris MDCCLIX. hora locisque consuetis.

Heidelbergæ, typis Joannis Jacobi Hæner Typogr. Aul. Academ.

12

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA

EXHIBENS
SUCCINCTAM & VARIAM

DOCTO-
RATIONEM, VARIAMQUE

CURANDI METHODUM

EX IMPL. FACULT. MEDIC. DECRETO

ALMA ET ANTIQVARISSIMA ELECTORALI HEIDELBER-
GENSIS UNIVERSITATE

FRASSIDE
D. FRANCISCO JOSEPHO

DE OBERKAMP

Philosophie & Medicinæ Doctor, Prædicantus
Professor publicus & ordinarius, Medicinæ & Chirurgiæ
Magistrus Publicus, Accusator &c.

PRO SUPREMA DOCTORATUS LAUREA
SERTIFICATA IN MEDICINA HONORIBUS & PRIVILEGIIS

EXIMIAE HEIDELBERGENSIS UNIVERSITATIS

PHILIPPUS BUCHNERUS BERNHARDUS
DE OBERKAMP

Dr. ...
Heidelberg, die ...



EMINENTISSIMO

AC

CELSISSIMO

S. R. I.

PRINCIPI AC DOMINO,

D. JOANNI
FRIDERICO
CAROLO,

S. SEDIS MOGUNTINÆ

ARCHI-EPISCOPO,

S. R. I. PER GERMANIAM

ARCHI-CANCELLARIO

ET

ELECTORI,

NEC NON

COADJUTORI WORMATIENSI

&c. &c.

DOMINO DOMINO CLEMENTISSIMO.

EMINENTISSIMO
AC
CELISSIMO
S. R. I.
PRINCIPI AC DOMINO
D. JOHANNI
FRIDERICO
CAROLO
S. SEDIS MOGUNTINAE
ARCHIEPISCOPO
S. R. I. PER GERMANIAM
ARCHI-CANCELLARIO
ET
ELECTORI
N. R. N.
COADJUTORI WORMATIENSI
S. R. I.
DOMINO DOMINO CEMENTISSIMO



EMINENTISSIME

AC

CELSISSIME

S. R. I.

PRINCEPS ELECTOR,
DOMINE DOMINE
CLEMENTISSIME!

PAtere, ut inter tam prægnantia, tam-
que multiplicia, quæ Te nunquam non
habent, quæque non nisi commoda publi-
ca spectant, negotia, tenues hæc pagel-
las ad EMINENTISSIMÆ CELSITU-
DINIS TUÆ Manus deferam. Meam hoc
in opere præsumptionem, quin & auda-

A 3

ciam

ciam ipsemet profiteor; Fiduciam tamen
& Fidelitatis soboles ea cum sit, minus
severè illam iri reprehensum, confido.
Hæ quippe duæ sunt, quæ, quantum
suæ tenuitatis conscias Tuo ab aspectu
pudor retraheret, tantum illas eò tra-
bant rapiantque, catenæ.

Fiduciam quidem injicit Tua, quæ sin-
gularis planè est, & plusquam Paterna in
Litteras & Litteratos Benevolentia. Ex
quo enim Te divino quodam beneficio da-
tam sibi gratulatur Patria; Salutis ac
felicitatis publicæ studio præferendum
ducis nihil. Cum verò potissimam hujus
partem Litteris absolvi probè, quæ mi-
rifica Tua est perspicacia, intelligas;
Tum quidquid ad has aut ornandas, aut
amplificandas, aut suo in flore conservan-
das conferre quidpiam potest, procuras
Sapientissimæque adornas. Nosti nimi-
rum, ruere has non posse, quin eodem la-
befacta-

benefactata motu convellatur, concidatque
Patriæ felicitas: Nosti, Litteras firmis-
sima esse fulcra, quibus communis Regio-
num fortuna tutissimè suffulta conque-
scat. Atque inde tot tamque salubria, quæ
ad rem litterariam pertinent, Tuo ab ore
consilia profluxêre, atque adeò Oracula:
Inde in fovendis Litteratis, ditandis ac
honorandis Eorum muniis facilis pro-
pensio: Inde in restaurandis, siquæ for-
tasse temporum vitio ac injuriâ concidê-
re, scientiarum omnium partibus, atque
in redintegranda præprimis Medicorum
scientiâ, Basilica planè Munificentia.
Pulcherrima sanè hac ratione das docu-
menta, quâ sis ab Origine natus; testa-
ris, Te Sanguinem esse Eorum, quibus ad
unum omnibus nunquam non fuit per-
suasissimum, se & excolendis & adjuvan-
dis Musis potissimum fuisse natos. Ista
meditatus non poteram, quin crescentis

usque fiducia magnitudine erectus al-
lectusque labores hosce Academicos, quos
pro consequenda Doctorali in Medico-
rum ordine Laureâ in me suscepi propug-
nandos, Tuos ad pedes deponerem.

Alterum, nec leviolem priore admovit
arietem fidelitatis contestandæ anke-
lum, quo æstuo, desiderium. Animum
de se promptum ac facilem trabunt pul-
cherrima bonorum subditorum exempla
& accendunt. Quàm gratum, quàm præ-
clarum, quàm jucundum offerebatur ocu-
lis spectaculum, uti, dum publicæ rei cla-
vum moderari occipiebas, summo animi
gaudio, festivas inter solennitates sua
Tibi deferre Homagia gestiebas? atque
adeò ardentissimo inflammati amore da-
tam Principi Optimo fidem liberare æmu-
lis inter se studiis etiamnum contendunt.
Nec levibus sentio me urgeri stimulis, ubi
intelligo, Avos, Parentes, Fratres, neque pau-

paucos è nostrâ familiâ alios partim Im-
perio, partim Sedi Moguntinæ, partim
Illustrissimis, quæ felicissimo Te partu
orbi dederunt, profapiis suam variis ra-
tionibus ac muniis fidem probâsse egregiè.
En! me animi devotio, me communia Pa-
tricæ & bonorum exempla, me propria
nobis domesticâque excitant facta, ut
& ego mei Homagii obsequiique officium
pro debito deponam. Cape ergo, EMI-
NENTISSIME ELECTOR, ac DOMI-
NE CLEMENTISSIME, hanc fide-
litas meæ Tesseram. Cape, inquam, pa-
gellas has, quæ fidei ac fiduciæ vi & ma-
gnitudine impulsæ Tua ante Ora, quâ
fas est, submissione, se sistunt. Triste
quidem, in quo versantur, argumenti
genus est; Siquidem, quod Naturæ ini-
micum maximè est, quòdque ea omni sem-
per molimine nititur à se avertere, lon-
gissimèque propulsare, Dolorem videli-

B

cet

*cet, ejusque causas & semina pertra-
ctant; sed votorum simul calentissimo-
rum bajulæ sunt, ut torrente Volupta-
tis, quam Dolori è diametro opposuit Na-
tura, Te potet Altissimus: A me quoque
omnis Doloris materies aberit, ubi opu-
sculum hoc Gratosissimo dignum Obt-
utu judicaveris, suavissimæque Volupta-
tis perfundar dulcedine, ubi licuerit
mibi & esse, & me nominare*

EMINENTISSIMÆ
CELSITUDINIS
TUÆ

Servorum infimum
PHILIPPUM LUDOVICUM EBERHARD.
de OBERKAMP, Obernburg.



§. I.

Dolorem, quem detestatur aded Natura humana, definituri affirmamus, esse tristem corporis mentisque affectionem, à violentâ fibrillæ nerveæ à cerebro medullave oblongatâ oriundæ extensione causatam; sic, ut eadem definitione ratio formalis æquè, ac materialis Causâ ejusdem allegata sit; Inde est, quòd cerebro, & medullâ oblongatâ compressis, nullus, distractis licet fibrillis nerveis inde oriundis, sentiatur *Dolor*: Inde est, quòd Pulmonibus, Corde læsis, morbo laboremus, quin doleamus. Inde rationem damus Aphorismi *Hippocratis*, quem sic legimus: *quicumque dolentes parte aliquâ Corporis dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat.*

§. II.

Sciet absque dubio quisque, qui *Dolorem* passus fuerit, quòd momento, quo liber est à *Dolore*, memor quidem sit, quid molesti adfuisse, quin sibi veram præteriti *Doloris* ideam formare valeat; *Doloris* consequenter sibi nulla relinquatur, absente materiali ejusdem Causâ, memoria, neque renascitur illa, nisi & Causâ renascatur, quæ mutans Corpus, & mentis cogitationes mutatas sistit.

§. III.

Quæ de *Dolore* vera sunt, eadem vera censemus de anxietate, hæc non rarò tantâ vehementiâ miseros mortales adoritur, ut iis vita displiceat, ut mori mallent, quàm eadem diutius affligi; tristissimis hoc ipsum exemplis probatum habemus, vehementi enim anxietate afflicti imbelles multi sibi ipsis violentas intulerunt manus, quod facinus acerrimo cruciati *Dolore* nunquam patrârunt.

§. IV.

Adorandus Creator, summè sapiens DEUS, & infinitus Architectus, prospexit hoc ipso mortalium saluti, dum eos sensui præ-

sentis solummodo, non præteriti *Doloris* exposuit; Nemo hinc *Doloris* ideam perfectam habet, nisi momento, quo dolet, neque ullus mortalium *Dolere* potest, dum vult: præsentis, ut sit *Dolor*, sint *Causæ Doloris* corporeæ, oportet; ablati illis, & cessat *Dolor*, earum effectus.

§. V.

Ratio molestæ sensationis, quæ & materialis & formalis est, ratio, inquam, molestæ sensationis materialis non est alia à firmarum humani Corporis partium statu Physico, tantam faciente fibrarum nervearum, cerebro oriundarum, extensionem, ut, quò major *Dolor*, eò propiores sint fibræ nervæ distractæ dissolutioni sive rupturæ.

§. VI.

Patet hinc, quòd inter sensum *Doloris*, & eum, quem voluptatis dicimus, magna sit affinitas, adeò, ut summæ voluptatis sensus sit proximus gradus ad *Dolorem*; Exemplo sit tentigo venerea; Exemplo sit voluptas, quam percipiunt scalpends prurientibus locis occupati, cum eandem in acerrimum declinet *Dolorem*. Summa igitur voluptas initium *doloris* appellari meretur.

§. VII.

Dum nervulus exiguus, sub ungue decurrens, exquisitissimo sensu dotatus, tenaculoprehenditur, paululum protrahitur; oritur *Dolor* pro vario distractionis gradu varius, sic, ut momento, quo proximus est rupturæ, sit summus & igneus, momento, quo ruptus, nullus; nullus est rupto nervo, cum distractio momento, quo rumpitur nervus, sensus instrumentum cesset, atque Communicatio mutationis physicæ, quæ erat in nervo ad sensorium Commune, quod non contra distinguimus à medullari cerebri substantia, sit interrupta.

§. VIII.

Requiritur dolentis partis Communicatio expedita in cerebro; requiritur cerebrum ab omni pressione liberum, non impeditum, ut fiat *Dolor*, dum adest in Corpore *Doloris* Causa; si enim nervus intra cerebrum, & locum, ubi *Doloris* Causa materialis hæret, vel
Com-

comprimatur & erodatur, vel concutiatur, vel quocunque modo destruat, applicatâ licet *Doloris* Causâ, nullus nascitur *Dolor*; sic si nervus, antequam in maxillam penetret dentibus prospecturus, ferro ignito comburatur, vel alio modo destruat; odontalgia ipso illo momento curatur; sic in Morbis soporosis, Apoplexia v. g. licet uras, feces, pungas, aut quovis molimine *Dolorem* excitare coneris, æger horum nihil sentiet.

§. IX.

Quòd nervus plùs tenditur, eò acerbior, ut affirmavimus, est *Dolor*, eò mitior, quò naturali tensioni propior est; docet hoc tortura; sic, quando maleficus primam nervorum tensionem patitur, pruritus percipit, nondum *Dolorem*, qui tandem plùs distracto nervo per gradus ascendendo ad maximum usque percipitur. Inde ratio, quare ad quamque distensionem sequatur 1mò titillatio, 2dò lenis pruritus, qui crescens, in *Dolorem* leniorem vel acerbiozem, pro minore, majorève distractionis gradu, declinat.

§. X.

In integro & magno nervo notabilis tensio fieri vix potest, talis nempe, quæ sufficit ad magni nervi rupturam, adeoque notabilis in his *Dolor* vix nascitur; verùm, ubi dimidiatò scinditur, fibræ nerveæ, non solutæ, non discissæ, distrahuntur, ut fiat exquisitus *Dolor*; affirmamus inde tensionem exquisitam, unde acris *Dolor*, in nervis minimis fieri continuò, & quòd nervus affectus tenuior est, eò *Dolorem* esse acutiorem. Intelligimus inde, cur horrendi *Dolores* odontalgici sint adeò diurni; nervus enim, quemvis dentem ingressurus depositâ, qua cingitur, membranâ in millena finditur filamenta, quodlibet autem ex his, dum saccharo, Sale, aut alio quovis acri attingitur, roditur, *Dolorem* causat acerbissimum, eousque, donec dissolutum sit, continuantem; cùm autem innumera sint in locis dentium filamenta nervea, & iis eadem Causâ applicetur, successivè *Dolor* & acerrimus & diurnus esse debet, utpote qui, donec afflictæ fibræ nerveæ in Continuitate sua solutæ, erosæ, exesæ, penitus destructæ sint, prorogatur, & exacerbatur.

§. XI.

Summus propterea *Dolor* in quaque parte animalis Corporis brevis, mitior autem diuturnus est, isque intendi, & remitti potest, sic momento, quo nervus discinditur integrè, percipitur *Dolor* acerrimus, qui momento post nullus est. Fieri tamen potest, ut summus etiam *Dolor*, & acutissimus per notabile tempus affligat: Exemplo sit odontalgia, chiragra, podagra. Ratio, quare acerrimi hi *Dolores* ad notabile tempus affligant, est, quòd materialis & Corporea tristissimæ sensationis Causa unum solummodo nervorum stratum occupet, eousque, donec illud penitus destructum, & sensui ineptum redditum sit, redit autem tum demum, quando, eadem Causa reliquis nervorum stratis communicatur, potest sic jam adesse, jam abesse *Dolor*, isque repetitis vicibus affligere in loco, ubi adhuc aliquæ nervorum ramificationes integræ, & reliquæ sunt, cum contra omnibus afflictæ partis nervis destructis, illa pars, sensationem quod attinet, mortua dicenda.

§. XII.

Causa *Doloris* proxima est fibræ nervosæ cerebro ortæ extensio, major vel minor, nullum proinde agnoscimus discrimen inter Causam morbi proximam & morbum ipsum. Causæ interim remotæ dictæ sunt omnes illæ, quæ fibrarum extensionem facere possunt, sive fecerint id, nervum distrahendo, lacerando, sive erodendo, secando, vel quocunque alio modo, sic si Mercurius sublimatus roserit vivum nervum, imò oritur titillatio, mox gratissimus pruritus, sic per varios voluptatis gradus, tandem immanis nascitur dolor, imò verò omnia corrosiva notato modo summum tandem producunt *Dolorem*, ne igne quidem excepto, propterea nil refert, Causa hujus mali agat ut tendens, vel dilacerans, ut inflamman, corrodens & vulnerans, modò efficere possit, ut nervus affectus rumpatur, momento, quo rupturæ proximus est nervus, & summus affligit *Dolor*.

§. XIII.

Referimus huc vim naturalis Contractionis paucioribus fibris sustentatam, dum quædam fibræ nervosæ dissolutæ sunt: sublata enim æquabili tractione fibræ integræ ad puncta sua fixa majori vi trahuntur,

tur, distrahuntur, ut rupturæ sit periculum; ponamus Exempli loco, nervum constare viginti fibris, ex iis decem solutas, solutæ non dolebunt, verùm reliquæ adunatæ, adhuc jam altero tanto plùs distractæ, dolere incipient: ponamus, partem quandam animalis Corporis constare 10000. filamentis nerveis, horum 9990. abscissa suppone, tunc decem filamenta à læsione immunia sustinebunt adhuc idem illud pondus, quod sustinebatur filamentis nerveis illæsis 10000, consequenter millecuplo plus ponderis sustinebunt, adeoque millecuplo plùs distracta immaniter dolebunt. Referimus huc omne, quod vasà fibris nerveis contexta, nimis replendo distendit. Coalita enim sunt vasà nostra ex membranis innumeris vasorum, innumeris nervorum filamentis ornatis, gaudent proinde exquisitissimo sensu, ubi igitur paulò plùs distenduntur, oritur grata titillatio, & pruritus; distensione hac adhuc paululum auctà, voluptas lenis, major, maxima, quæ tandem continuante distensione, & ejus augmento in *dolorem summum*, dum maxima est distensio, declinat. En, quare in pleuritide ex merà distensione nullo modo, quòd partibus dolentibus acre aliquod inhæreat, immanis *Dolor* sit: obstructæ quippe arteriæ omnem impetum arietantis sanguinis sustinentes ad rupturam fibrillarum nervearum usque distenduntur. Referimus huc omne, quod vi distrahit, sit luxatio, sit tumor, vis externa trahens, vulnerans, rodens. Harum causarum ratio evidenter cùm pateat ex antè dictis, hinc pauca solummodò monenda censemus. Vulnerantia quod attinet, quæ, quando nervos, membranas, tendines, & reliquas animalis Corporis partes dimidiatò discindunt, majoremve *Dolorem* faciunt, pro vario discissionis modo, varia partis læsæ ratione, sic dum pars quædam lentè fecatur, atrocissimus est *Dolor*, qui citissimè rescisâ eadem parte vix sentitur.

§. XIV.

In præcipuas *Doloris* causas hucusque inquirentes vidimus, quòd firmas solummodò animalis Corporis partes ex nervis conflatas, non liquidas afficiant. Nervi autem alii sunt aperti & permeabiles, alii consolidati, indurati, quorum ultimi nullo *Dolore* afficiuntur. In omni enim nervo, quousque vitalis est, reperire licet plurima filamenta ex medullari cerebri substantia vasà cylindrica subtilissimum
anima-

animalis Corporis liquidum continentia. Membrana, tale vas componens, ultima nervosa appellanda, constat fibris solidis imperviis, non cavis.

§. XV.

Omnis igitur *Doloris* Causa, ut in liquida agat, & ea mutet, nunquam *Dolorem* producere poterit, nisi pro effectu talem habeat mutationem, quæ solida afficiat, ut fiat mutatio contactuum in ultimo solido nervi.

§. XVI.

Fibrillæ nerveæ unius ultimæ *Dolor* mitissimus oritur à motu, solito majori, hic à miti vellicatione, titillatione aut pruritu incipit, in acerrimum *Dolorem* terminatur, sic odor gratissimus, & sapor, si diu ac vehementer percipiuntur, *Dolorem* excitant, idem obtinet in sonis.

§. XVII.

Augmentum *Doloris* & est à numero fibrillarum simul affectarum, & ab aucta earum distensione. Ex dictis igitur manifestissimum est, quòd ubicunque nimia fibrillarum nervearum elongatio, distractio; ibi *Dolor*. Distractio autem procedens ab externâ Causâ tolli potest ejusdem ablatione, ea, quæ ab internâ Causâ, non ita facile aufertur: Examinandum enim prius, qualis sit, antequam ei remedium opponatur.

§. XVIII.

Reducimus nimie distractionis Causas internas ad quinque, facimus proinde & tot medicamentorum classes; huc nervi cujuscunque semi lacerationem, huc inflationem nimiam à spasmò, huc distensionem nimiam à acri impactu, huc distractionem nervorum ab elatere proprio supra Corpus durum & impactum v. g. supra calculum in uretere.

§. XIX.

Duplex est methodus medendi, quâ *Dolor* tolli debet, altera, qua *Doloris* causam tollimus, altera, qua *Doloris* sensum obrundimus, unde anodynæ medicamenti diversitas patet. Anodynum autem medicamentum dicimus id, quod causam doloris corpoream

ream tollit; Proinde totuplex est, quoruplices sunt causæ *Doloris*. Hinc nullum datur generale. Sic modò Venæ sectio & refrigerantia, modò laxantia, humectantia, emollientia, modò stimulantia & resolventia &c. anodyna appellanda.

§. XX.

Ubi itaque vis naturalis contractionis paucioribus fibris sustentatur; quibusdam earum, facto vulnere, solutis potissima indicatio curativa est (supposito, quòd immediatè ad locum affectum applicari medicamentum possit) ut & vicinæ & affectæ partes sic laxentur & humectentur, ut sublata partium non solutarum distractione partes dissolutæ prudenti actione ad se mutuò adduci possint & concresecere. Sic restituto tractionis æquilibrio *Dolor* simul desinet. Patet hoc in musculis Semi-discissis, ubi summus à distractione fibrarum non solutarum validà adest *dolor*; qui partibus solutis adductis & in eodem situ retentis, donec concretio facta sit, evanescit. In his casibus requiritur, ut fibra, distenta & si distracta sit, laxetur eo sine, ne laxata nitatur continuò in disruptionem fibrarum non solutarum. Dolor enim non oritur à simplici distractione fibræ, sed ab ea fibræ distractæ conditione, quæ disruptionem minitur. Quisquis igitur eò allaborat, ut fibra distracta absque metu rupturæ se plùs extendi patiatur; Ille *dolorem* aufert. Exempli loco sit chorda musica sicca & arida, quæ ad multam tensionem & distractionem dissiliet statim & rumpetur media. Verùm eadem chorda, vel aquà vel oleo laxata, humectata, sine rupturæ periculo extendi validè potest. Idem profectò faciat Medicus, ubi Fibræ nimis distentæ & distractæ, nimis siccæ & rigidæ *dolorem* causant, monente divo HIPPOCRATE: *Si pars acerrimè dolet, & immunem à dolore præstare vis; fac, ut humido tepido emolliente sit laxissima.* Laxitas enim Fibræ vocatur illa ejus conditio, per quam in longitudinem extendi se patitur sine ruptura. Itali & Hispani balneo tepido atroces Podagræ *dolores* levant, idque pro suo habent remedio, præsertim, si ei adjiciantur farinosa mollia, suboleosa, humectantia & emollientia. Inde est, quòd in acerrimis Podagræ *Doloribus* dolenti loco applicemus cataplasma ex lacte cum farina lini cocto, cui sub finem coctionis

nis vitellum ovi addere licet. In hunc finem & ordinamus feliciter balnea vaporosa & immerfiva ex aquâ molliffimè tepida.

§. XXI.

Quando *Dolor* natus est ex eo, quòd vas fibris nervosis contextum, nimis repletum distendatur; opus tunc est resolutione concreti, opus, inquam, est, ut natura in his vasibus obstructio referatur. Concretum enim in vasibus hærens, vas infarciendo, obturando, motum liquidorum per ea sistit, & totam arietantis humoris vim ipsis vasibus obstructis applicat, sic ea distenduntur, distrahuntur, unde *Dolor*, qui simul ac Concretum resolvitur, mobile redditur, statim cessat. Optima in simili Casu remedia sub ratione Anodynorum sunt diluentia aquosa, salina, saponacea, mellita, succi fructuum horæorum maturorum, Aloëtica remedia, diversis modis applicata. Verùm, ubi obstructio abiit in phlegmonem; sola methodus antiphlogistica locum habet.

§. XXII.

Est, ubi Concretum, quod in animali Corpore hæret, tutò resolvi non potest; cura proinde palliativa consistit in laxatione partis distentæ, sive enim pars distenta laxetur, sive Causa distendens diluatur, idem, lenimen *Doloris* quod attinet, semper effectus: hæret E. loco calculus in urethra, excitat hic continuum *Dolorem*, nixus exin reddendæ urinæ, mutatio abdominis continua calculum pelunt in fibras urethræ laterales sensiles admodum, inde intolerabilis *Dolor*. Injiciatur ope siphonis aqua, lac, aut oleum tepidulum in urethram, nisi nimis Magnus fuerit; laxatis per hæc urethræ fibris à calculo validè pressis & distentis, æquè facillè calculus in urethra hucusque hærens exhibit, ac si ejusdem moles esset immixta, & cessabit *Dolor*: Imò diriffimis calculi hærentis in urethra *Doloribus* cruciatus dum bibit, & simul per urethram injici curat multum blandi olei, idque per aliquot dies successivos, & calculus prodibit, & *Dolor* evanescet.

§. XXIII.

Neque excludimus à ratione, sive Causa vasorum tum arteriosorum, venosorum fibras distendente laudabilis sanguinis abundantiam, sicque eam & inter Causas *Doloris* numeramus. Optimum autem.

autem in affectibus, ubi multus excruciat *Dolor* à plethora natus, Anodynum est phlebotome: sic si in plethoricis meninges, per quas innumeri dispersi sunt nervi, valdè distendantur, *Dolor* oritur molestissimus, illicò, solà venæsectione curandus. Fæmellæ item menstrui tempore in variis Corporis partibus *Dolorem* patiuntur, solutis menstruis illicò cessantem.

§. XXIV.

Ubi præter plethoram & Cacochymia *Doloris* Causam agit, illa, imminutâ plethorâ pro diversitate acrimoniæ remediis variis vel corrigi vel leniri debet, ut cesset *Dolor*. Leniuntur acria, dum ea involvimus molli & viscoso Corpore, corriguntur opposito vario pro varietate acredinis; est autem acre vel innatum vel peregrinum, idque salinum, vel acidum simplex, vel austerum, vel Alkalicum volatile, putrescens, vel rancidum oleosum, acerrimum. Ubi autem *Dolor* natus ex singulari acri cognito, acido v. g. ibi absorbentia, diluentia, immutantia Anodynum præstant effectum. Sin verò acre Alkalinum peccet, dentur acescentia, aquosa diluentia, saponacea abstergentia acida, suboleosa, sicque pro varietate acrimoniæ peccantis varia & leniendi & corrigendi intentione exhiberi poterunt medicamenta, quæ in nostro Casu & Anodyna appellari debent.

§. XXV.

Nisi singularis acrimonia distingui satis & cognosci queat; inter optima Anodyna tum demum numeramus aquam, oleum recens & blandum. Cùm aqua multa omne ferè acre diluat & iners reddat; inde etiam est, quòd aqua calida omnem ferè *Dolorem* tollere possit à quocunque acri oriundum, inde, inquam, est, quòd olea blanda recens pressa ad libras aliquot exhibita per animale Corpus meatia obtundant & mitificent omne acre. Approbamus hinc veterum balnea oleosa, frictions similes locis Dolentibus felicissimo cum successu adhibitas.

§. XXVI.

Neque excludimus ab Anodynis discrucientia; sunt talia sudorifera, suademus propterea largum aquæ calidæ potum, sudorem, ubi *Dolor* est ex acrimonia, sit acida, sit alkalica; poterit: E. g. decoct. liquirit. solan. lignos. dulcamar. larga copia, ponatur his impletum

ferè Corpus animale sub craticula, & vapore spiritus vini accensi ad Corpus nudum determinato excitetur sudor, hauriat idem decoctum, & continuetur Sudor, sic utique acre per Corpus oberrans discutietur.

§. XXVII.

Natus *Dolor* ex aucto motu circulari sedatur, dum aufertur singularis stimulus, qui fibras irritando motum auctum excitat, dum corrigitur medicamentis singulari acrimoniae contrariis, natus, inquam, *Dolor* ex aucto motu circulari, quem natum scimus ex humoris vitalis abundantia copia, nullà supposità ejusdem labe, sedatur venae sectione & quiete, inductà per aquosa diluentia, laxantia leniter refrigerantia; methodus hæc certissima observanda maximè in morbis acutis inflammatoriis, *Dolore* nephritico, pleurítico inflammatorio &c. Impetramus sic doloris Lenimen, impedimus, ne *Dolor* continet ad destructionem & gangrænam partis usque, illicò nempè minuendo vitæ vim.

§. XVIII.

Dum *Dolor* in parte quâdam animalis Corporis affligit, ex eo, quòd luxatio facta sit, tumor natus, vel quæque vis externa Corpori illata, non requiritur, nisi luxatæ partis restitutio, nisi tumoris resolutio, discussio, quæ variis & pro diversa indole tumoris diversis remediis impetranda. Verùm, ubi tumor nec resolvi nec discuti paritur, nullo Anodyno *Dolor* inde oriundus tolli potest. Non requiritur, inquam, ubi à vi externâ nascitur *Dolor*, nisi violentæ Causæ ablatio: sic fœminæ gravidæ fœtum brevi enixuræ ab inæquali & violentâ nervorum tractione sæpè incidunt in *Dolores* & Convulsiones dirissimas, & momento, quo fœtum enixæ sunt, ab his liberantur, sic hærens in Corpore animali solidum acutum, ex se quidem quiescens, nil mali facit; verùm, cùm animale Corpus ne in puncto quidem, quousque vivit, quietum, arterias continuo vibrantes, membranas item contra peregrinum acutum motu automatico movendo in actum deductum acutie suâ solvit fibras nervosas, *Dolores* facit perpetuo, sic visi sæpè sunt infantes, qui ex peregrinis acutis in tenella corpuscula impactis *Dolores* immanes, Convulsiones dirissimas passi sunt, ubi ex ignorantia Causæ Anodyna, Antiepilepti-

pileptica varia frustra adhibita sunt, & adhuc hodiè adhibentur, Cùm præter ablationem acuti corporis nullo remedio opus sit.

§. XXIX.

Rodentia quod attinet & acria, eorum rationem medendi, cùm ex parte suprà jam proposita sit, ex parte proponenda veniret, ubi animus foret Catalogum variorum venenorum, quorum ingens est numerus, exhibendi; verùm, cùm venena hucusque cognita cum antidotis exactissimè descripta legam in Institut. Medicis M. Boerh.

Cap. de Antidotis; Benevolum lectorem eò interim remitto, huicque operi, quò narcoticorum rationem in corollariis sim pertracturus, impono

F I N E M.

COROLLARIA.

I.

Narcoticum medicamentum, Stupefactivum etiam dictum, sensum Doloris tollit, Causà interim ejusdem materiali intactà. 2.) fieri hoc potest duplici modo: 1.º) dum nervus ineptus redditur ad sensum, 2.º) dum Sensorium Commune vi medicamenti narcotica obtunditur. 3.) ineptus redditur nervus ad sensum Compressu, dissectione; 4.) interceptur sic nervi cum Cerebro Commercio: 5.) inde ratio, cur Chirurgi, amputaturi membrum quoddam, nervos ejus arctissimà stringant ligaturà. 6.) Idem erit effectus, si nervus inter partem quamcunque animalis Corporis, & Cerebrum dissectur, comburatur. 7.) Vox Græca *υαπνη* Latinis stuporem notat. 8.) stupor vel bebetior vel nulla perceptio est eorum, que in nobis contingunt. 9.) Medicamenta proinde narcotica & propriè dicuntur stupefacientia; 10.) Nervum enim reddunt ineptum ad impressiònem Doloris sensum, sensorio Communi Communicandum. 11.) Id faciunt vel totum sensorium Commune obtundendo, vel solum nervum. 12.) Atque sic nascitur vel stupor totius, vel partis. 13.) Nervi e. g. in itinere suo ligati, dissecti, Combusti vel ipso igne, vel oleo calido penetrantissimo redduntur sensui inepti. 13.)

C 3

Sensus

Sensus Doloris obtunditur narcoticis profundissimum somnum inducens. 15.) Huc spirituosae volatilia ebrietatem inducunt. 16.) Haec, dum varium gradum Apoplexiae inducunt, patet inde ratio Aphorism. 5ti Sect. 5. (a) ubi sic lego: si quis ebrius ex improvise mutus fiat, Convulsus movitur, nisi febris corripuerit, aut ubi ad horam, quae evapulae solvuntur, pervenit, locutus fuerit. 17.) Idem, quod spirituosae faciunt, & opium praestat, princeps narcoticorum remedium, licet Causam Doloris non corrigat. 18.) Plurima hinc damna inferunt, qui eo indifferenter utuntur. 19.) Ubi enim Sensus Doloris sopitus est, ut plurimum & Aeger & Medicus non satis Cautus & attentus fallaci fiduciae innixi, decipiuntur. 20.) Debita sub cautela adhibitum opium quid solaminis adfert in morbis, ubi aegri multo dolore torquentur, ut jure nepentes vocari mereatur. 21.) Propterea nunquam dandum narcoticum, nisi prius, quae ars exigit ad cognoscendas & tollendas Doloris Causas, peregerimus. 22.) Hac cautela neglecta opio exhibitio sensus Doloris tollitur quidem, & aeger placide quiescit, nec sentit, quae mala in Corpore nascantur. Exempl. res fiet clarior: ad sopiendum Dolorem pleuriticum exhibetur opium, Dolor non sentitur, pleuritis interim transit in gangrenam, aegro nil mali sentiente, quam imprudentissimam agendi methodum brevis subsequitur Mors. 23.) Suademus hinc, & monemus serio, ne unquam in similibus Casibus detur opium, non oppugnata & devicta prius Causa Doloris. 24.) Oppugnatur venae sectione, diluentibus liquidis, magna copia exhibitis, humectantibus item & leniter refrigerantibus, verbo, antiphlogisticis: huc chysmata, fomenta humectantia, emollientia & similia. 25.) Tum demum opium circa vesperam exhibitum maximo erit solatio. 26.) Hac ratione & Dolorem obtundimus, & multos effectus ex Doloris sensu oriundos tollimus v.g. inquietudinem, jactationem, vigiliam.

(a) Hippoc.




DOLOR, LABOR, DECOR.

Quando *Dolorifica* tractas mala femina causæ,
Illaque quæ possit tollere dextra, doces;
Te non Fæmineis, Grajis, Te robore contrà
Aufoniis similem fortibus esse probas.
His etenim *Dolor* ipse Labor vix esse solebat,
Illis verò *Labor*, quin levis umbra, *dolor*. *
Sic *Dolor* ille quidem Tibi fit, Lodoice! *Laboris*
Causa, *Labor* nunquam sed *dolor* esse solet.
Si *Dolor* ille Tibi *Labor* est; *Labor* ille *decori* est.
Partus ab Aufoniis quippe (^{Labore}_{Dolore}) *Decor*.

Ità

JOANNES BEZ, Hoffheimensis
Franco, Med. Cand.

* πόνος, Labor, Dolor.



Ad D. DEFENDENTEM:

Est *Dolor* in Nervis: hunc ut cognoscere possis,
Intendis Nervos, ô Lodoice! Tuos.
Sic bene: Nam fiet notissima causa *Dolorum*,
Inde Tibi facilis cura *Doloris* erit.
Sic Labor ergo feret nomen famamque, *Dolori*
Infesto Medicâ si medeâre manu.
At, ne prævaleat vehementia summa, *Dolores*
Queis vincas, præbent, en! Tria regna Tibi.
Ast, ut quæ possint, monstres, noceantve, *Dolenti*
Prælia postremò sunt subeunda Tibi!
Post quæ pro meritis ut cingat tempora Daphnis,
Astra beent praxin, voce animòque precor.


Ità

ANDREAS RIDLING, Fuldenfis,
Med. Cand.

Quam-

Quando videt Sobolem virus Pelicanus habentem,
Tunc illam sanat more cruore suo,
Sicque modo tali morbum curare laborat,
Quæ meritò à quovis hæc celebranda Fides.
Qualem te monstres semper, Neo-Doctor! in ægros
Ut cesset virus, ne sit & ipse Dolor,
Proptereaque Deus tibi curas prosperet omnes,
Quod tuus exopto verus amicus Ego

I. W. E. T. S. E. P. P. C.



00 A 6272

f


ULB Halle 3
002 827 158




TA-OL

Reho ✓







DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA,
EXHIBENS
SUCCINCTAM & VARIAM
DOLORIS
RATIONEM, VARIAMQUE
CURANDI METHODUM,

QUAM
EX INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO
In
ALMA ET ANTIQUISSIMA ELECTORALI HEIDELBER-
GENSIUM UNIVERSITATE,
PRÆSIDE

Prænobili, Clavissimo & Expertissimo Viro ac Domino

D. FRANCISCO JOSEPHO
de OBERKAMP

Philosophiæ & Medicinæ Doctore, Ejusdémque
Professore publico & ordinario, Serenissimi & Potentissimi
Electoris Palatini Archiatro &c. &c.

PRO SUPREMA DOCTORATUS LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ac PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

EXANTLATIS DE MORE RIGOROSIS EXAMINIBUS
Publico ac solenni Eruditorum examini submittit

PHILIPPUS LUDOVICUS EBERHARD.
de OBERKAMP Obernburgensis,
Medicinæ Candidatus emeritus.

Die Septembris MDCCLIX. hora locisque consuetis.

Heidelbergæ, typis Joannis Jacobi Hæner Typogr. Aul. Academ.

